

Polynesthi rari

II b
23

*ſeu De iis qui multas intellegunt
linguas eorum raritate*

X 23A6885

Q. R. V.

**GEMINI
CANDIDATORUM
ACADEMICORUM,**

**INFRA NOMINATORUM,
NOSTRARUM E SEDIBUS MUSARUM,**

DIMITTUNTUR

**PRÆSENTIBUS LITERIS,
QUIBUS UNA INSERITUR DEMONSTRATIO,**

DE


**RARA MULTARUM LINGUA-
RUM SCIENTIA,**

INTERPRETE AC TESTE,

M. GEORGIO ANDREA Binhold, R.

CIŒNEÆ D. XXIV. APRIL. A. O. R. MDCCXXII.

Typis IOANNIS FRIDERICI



PUtamina quidem, aut vestes rerum linguæ sunt, non ipsæ res, multo minus rerum sapientia. Nihilominus, cum plurium linguarum studium capacem animum, vegetam memoriam, acrem ingenii vim, nec vulgarem mentis solertiam diligentiamque requirat; cumque peregrinarum vocum sonum non secus accipere vel cum admiratione, vel cum delectatione soleamus, quam avium canariarum ascitas aliunde modulationes, aut lusciniæ cantus vario garritu permixtos: inde nonnullis linguarum, quarum notitiam præ se ferebant, copia ad amplissimam etiam gloriam adjuvamentum attulit. Nolo jam Heroum familias peculiari opera in aciem producere, ac stylo prosequi, & aut vetusta, aut recenti memoria Mithridatem viginti duarum, Carolum M. Fridericum II. Henrici VII. filium, variarum gnarissimos linguarum, & Anglorum Reginam, Elisabetham, Legatos quosvis ipsorum lingua loquentes audientem repetere. Indictos tamen prorsus abire non patiar Aug. Justinianum calentem Græcam, Hebræam, Chaldæam, Arabicam; Hadr. Junium, Lat. Gr. Ital. Hisp. Gall. Angl. Germanicam; Guil. Postellum Hebr. Chald. veterem & recentem, Samarit. Arab. Indic. Gr. Georg. Trevir. Illyr. Armen. Latinam; Sam. Bochartum Hebr. Chald. Arab. Æthiopicam; Gilb. Gaulminum Arab. Hebr. Turc. Gr. Latinam; Cyrillum Lat. Gr. Turc. Arab. Italicam; Joh. Cumanum Gall. Hisp. Ital. Bohem. Slav. Angl. Hebr. Chald. Syr. Arab. Pers. Turcicam; Hippolytum a Collibus Ebr. Gr. Lat. Gall. Ital. aliaque; Joh. Zechendorfium Hebr. Chald. Syr. Arab. Pers. Turc. Ægypt. Gr. Lat. Germanicam; J. M. Maderum Regi & Reginae Bohemiæ benedictionem votivam offerentem Arab. Syr. Chald. Gr. Lat. Germanicam; quale pietatis specimen in Ser. ac Pot. Domum Saxoniam Aug. Pfeifferus, & Christ. Buckius, Max. Rev. Dicecefos sacræ apud Torgavienses Ephorus, nostra ætate dederunt. His addere libet Athan. Kircherum, passim celebratum ut principem linguarum; Petr. Lusitanum, omnium pene linguarum, ut a quibusdam jactatur, hominem; quod stupendum elogium sibi ipsi tribuit, ac de se gloriatur Theod. Bibliander: nec Ios. Scaliger ab hac laudis perfectione alienus esse voluit, nullam linguarum a se ignorari prædicans. Quid? in Sanctuario Hierosolymitano Præfectus turturibus in septuaginta linguis versatus fuisse dicitur, Synedrionque ibidem inter LXX. vel juxta Sanhedrin, LXXII. Assessores, nisi septuaginta scientem linguarum, admisit neminem. Sic seminarum quoque in hoc genere elegantia eluxit gloria; siquidem egregia laus debetur Corneliæ Valentiniæ, tredecim annos natæ, imprimis Malaicæ, Lat. Lusit. & Belg. Annæ Mariæ a Schurmann Hebr. Chald. Syr. Arab. Turc. Gr. Lat. Hisp. Gall. Ital. Angl. Germ. Belg. Julianæ Morellæ, virginis Hispanæ, Lat. Gr. Hebr. Syr. Arab. Helenæ Cornaræ Piscopiæ, Nobilis Venetæ, Lat. Gr. Hebr. Hisp. Arab. Paulæ Romanæ Lat. Gr. Hebr. peritia celebribus. Enimvero si linguarum numerum, si naturam geniumve, si denique studium attendamus; nullam inveniemus causam, quare aut viri prudentes cuius copiosas linguas crepanti statim assurgant; eumque in Polyglottorum, ut inter Latinos barbare loquar, numero habendum putent, aut ipsi illi linguarum aliquot compotes se istoc honore dignos ferant, quasque in arce, ut quondam Minervam suam Phidias, omnium oculis exponant. Numerum quidem certum linguarum inire, in hac infirmitate, nullus facile poterit. Vulgares tamen Hebræorum interpretes LXXII. Euphorus LXXV. Duretus LV. circiter, alius quispian CCC. numeravit; lubrica omnes, si res ad verum exigatur, conjectura; quoniam tot possunt esse linguæ, quot inventores earum; quos quis numero liquido comprehenderit? Et quamvis Europææ nobis satis bene innotuerint, ut parum absit, quin indolem singularum aut perceptam teneamus, aut certe suis limitibus quamque valeamus circumscribere; desiderantur tamen, quantum notitiæ exploratæ plenæque sufficiat, adhucdum quamplurima, ex Asiaticis Tartarorum, Chinesium, Japo-

Japonensium, & adjacentium Insularum; ex Africanis sub ipso solis æstu, & quæ circa eum sunt, habitantibus; Ex Americanis potissimum nebulas nobis offundentibus. Europæis tamen auditæ sunt Hebræa, Rabbinnica, Chaldaea, Samaritana, Syriaca, Arabica, Persica, Turcica, Tartarica, Tanguliana, Armenica s. Haica, Georgiana, Iberica, Malaica, Sinica, Formosana, Brachmanica, Zellanica, s. Cingalica, Corcica, Siamica, Javanica, Bengalica, Malabarica, Singalæa, Æthiopica, Amharica, Schillhica, Coptica, Angolana, Melindana, Habyssinica, Madagascarica, Græca, Latina, Gallica, Waldensis, Rhetica, Italica, Foro-Juliana, Sardica, Cantabrica, Hispanica, Lusitanica, Britannica, Wallica, Hibernica, Scotica, Monica, Cornubica, Aremonica, Anglo-Saxonica, Franco-Theodisica, Epirotica, Germanica, Judæo-Germanica, Belgica, Islandica, Danica, Suecica, Anglica, Orcadica, Slavonica, Wallachica, Moscovitica, Polonica, Bohemica, Dalmatica, Croatica, Vandalica, Bulgarica, Nova-Zemblica, Servica, Carnica, Livonica, Lusatica, Finnica, Lapponica, Curlandica (Lettica, Estonica) Prutenica, Prussica, Lithuanica, Wermlica, Hungarica, Molguerica, Mohogica, Savanachica, Virginica, Karirica, Guarinica s. Brasillica, Mexicana, Poconchina, Hottentottica, Barbarica Africanorum, seu Francica, Punica Americanorum, Chilensis, Magellanica. Hæc igitur multitudo quemlibet linguarum cupidum modestiam doceat; ne plus de se sentiat, quam veritatis sanctimonia concedit. Quid enim est omnino illud multum, quod ad suum totum si comparetur, vix pars existit centesima? aut quid inter opulentos eum referimus, qui præter nummos pauculos nihil possident? Unde & Polyglottias appellationem refugisse videmus Lexicorum Harmonicorum Scriptores, qui plurium linguarum apparatus quandam promittunt, unico fortassis excepto Megifero, qui Dictionario suo Theauri Polyglotti nomen indidit. Ita multitudo linguarum, peritiam plurium facit rariorem. Quæ raritas porro ex natura genioque linguarum elucescit magis. Ingeniose, ut alias, Scaliger expressit linguam, dicens eam esse idiotissimum alicuius gentis, vocibus rite formatis rem mente conceptam alteri representantem. Scilicet lingua unaqueque suum habet genium, suam proprietatem nativam, & ut Elverus loquitur, suam Venerem propriam, nativumque decorem, & nescio quid subtilis, singularis, selectæque proprietatis. Proprietas vero ista, florentis instar arboris, latius se in ramos diffundit. Gignit enim ex se, neque admittit in censum suum, nisi vocabula pura, nisi dictiones formulæque puras, sive eas simplices, sive venustas & nativa elegantia amabiles, sive nitore quodam splendentes. Deinde integrum orationis corpus optimis cujusque linguæ autoribus conformatum efflagitat. Porro sermonem omnem detrectat vitiosa pronuntiatio, scriptio, consideratione, flexione, conjunctione nondum repurgata. Quin & styli vim postulat naturæ linguæ cujusque respondentem, & ad normam eorum, qui dicendi præcepta tradunt, verborum juncturam, ordinem, numerum, connexionem partium majorum minorumque. Quanti vero laboris sit, quantæ industriæ, vel solam vocabulorum proprietatem, nedum eorum compositionem percepisse, ii demum recte intelligunt, quorum in lingua aliqua docenda aut discenda non segnissimè opera versatur. Quid de moderamine Grammatico dicamus? Quotusquisque linguarum studiosus sese ita politum arte, & exercitationibus confirmatum sentit, ut non alicubi offendat, aut ad scopulos illos, nescius etiam & invitus, navem allidat? Quid de lingua in theatrum eloquentiæ producenda statuendum putemus? Nonne indoles linguæ tunc ad summum apicem provehitur, cum per omnia dicendi genera, omnesque styli facultates iter ostenditur? Certe ut quondam Apelles, cum esset Venerem formosissimam depicturus, præstantium forma feminarum totius Græciæ pulchritudines dicitur collegisse, ut ex istis tanquam partibus totum aliquod conflaret, quod suo adpectu aliorum oculos alliceret: ita nisi omnia elementa genii linguæ in unam veluti massam consti-

consta-



FR. 134.
90

Polyploeti rari

*Sea de iis qm multas indellegunt
linguas eorum, raritate*

X 23A6885

Q. B. P.

GEMINI CANDIDATORUM ACADEMICORUM,

INFRA NOMINATORUM,
NOSTRARUM E SEDIBUS MUSARUM,

DIMITTUNTUR

PRÆSENTIBUS LITERIS,
QUIBUS UNA INSERITUR DEMONSTRATIO,

DE

RARA MULTARUM LINGUA-

RUM SCIENTIA,

INTERPRETE AC TESTE,

M. GEORGIO ANDREA Winhold, R.

CGNEÆ D. XXIV. APRIL. A. O. R. MDCCXXII.

Typis IOANNIS FRIDERICI

